

opus externum est de se bonum, ac virtuosum, ideo necesse est, ut habeat suam bonitatem ab opere interiori denominatiue. Antecedens patet. Tum quia omne opus extrinsecum est de se indifferens, & potest bene, vel male fieri, patet de ieiunio, elemosina, vocali oratione, & similibus. Tum quia nullum opus extrinsecum est de se liberum. Potest enim agens quantum ad illud cogi, & violentari. Ad hoc autem quod opus sit virtuosum, oportet quod liberè producat. Nam in inuoluntariis neque laudamur, neque vituperamur tercio Ethic. Sola autem voluntas est simpliciter libera in actibus interioribus elicitis, quoniam quantum ad illos nec im pediri potest, nec cogi, nec violentari. Ex quo sequitur quod verus Dei cultus non consistit in exterioribus, sed in interioribus piis affectionibus voluntatis, quæ tamen præsupponunt rectum iudicium, & cognitionem intellectus, & rationis.

Patet auctoritate triplici. Christi Ioannis 3. Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu, & veritate. Apostoli 1. Timot. quarto. Exerce te ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est. Pietas autem ad omnia valet, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ idest gratiæ & gloriæ. Augustini in Encbrydion. capitu. 2. Colendus est Deus fide, spe, & charitate.

Ex sine ostendi potest imperfectio iustitiæ apparentis eorum. Quia scribæ, & pharisæi non quæsierunt gloriam & laudem Dei, sed suam. Vnde Matth. vigesimotertio. Omnia opera sua faciunt ut videantur ab hominibus, dilatant phylateria sua, & magnificant simbras, amant primos recubitus in coenæ, & primas cathedras in synagogis, & vocantur ab hominibus rabbi. Orabant orationes longas, sed propter auaritiâ, ut concederent domos viduarum. Mat. vigesimo tertio. Exterminabant facies suas marcentes ieiuniis, sed ut facillè deciperent mulierculas captiuas eas ducentes peccatis oleratas secundo Tim.

tertio. Dabant elemosinas præcipientibus tubis in synagogis, & vicis, sed ut viderentur, & honorarentur ab hominibus. Matthæi sexto &c. Legis verò euangelicæ finis, & obiectum est vita æterna. Roma. sexto. Habetis fructum vestrum in sanctificatione, siue verò vitam æternam. Hanc itaque regulam ex hoc euangelio colligamus. Ad introitum regni non sufficit iustitia solum apparens, exteriora opera colorans sed requiritur iustitia vera interior, motus animi recte rationi subiiciens, & conformans. Ratio, quia apparens iustitia non est virtus, nec iustitia, quia non est rationi recte consentanea, sed contraria. Potes declarare ex diffinitione virtutis.

Eliciuntur ex hac doctrina tria corollaria. Primum: Nunquam aliquid commissum, vel omissum per nos, vel alios imputatur ad culpam, nisi ad id accesserit voluntas nostra, formaliter, vel interpretatiuè. Formaliter, consentiendo: Interpretatiuè, negligenter cauendo: De quo Aug. multa disputat lib. 3. de libero arbi. Similiter in de vera religione ait: Usque adeo peccatum voluntarium malum est ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Concordat philosophus 3. Ethic. Secundum Longè nobis cauendum est, quæ, & quod agamus, quam quæ patiamur: Nam sine comparatione magis fugiendum est mala facere, quam mala pati: Nam propter mala pati nemo redditur malus, immo mala bene pati res est maximi meriti, ut patet in Christo & in martyribus: Immo beatus Bern. sermone 1. de apostolis Petri, & Pauli ait: Bonam vitam ego puto, & mala pati, & bona facere, & sic perseverare usque ad mortem: Ratio, quia præter voluntatem patimur, sed non præter voluntatem agimus: Agere enim hic dicitur actum animæ interiorē liberum, ratione rectè consonum, vel dissonum, & tale nunquam fit sine voluntate: Verum circa ipsum pati contingit laudabiliter velle & nolle &c. Ex hoc patet magnus error hominum magis volentium præue

Corollaria tria
Nihil ad culpam imputatur nisi accesserit voluntas

Imperfectio iustitiæ pharisæicæ